

No 2
No 3

2

PRORECTOR
REGIÆ FRIDERICIANÆ,

CHRISTIANUS THOMASIUS, JCT.

POTENTISSIMI BORUSSIÆ REGIS ET SERENISSIMI SA-
XONIÆ DUCIS MAURITII WILHELMI CONSILIARIUS
RESPECTIVE INTIMUS, PROFESSOR JURIUM ORDINAR.

una cum

PROFESSORIBUS
reliquis,
CIVES ACADEMICOS
AD FERIAS RESURRECTIONI DOMINICÆ
SACRAS, spiritu sanctificationis, secundum
quem definitus ex illa est Filius Dei in potentia,
in spiritu & veritate colendo, celebrandas
fideliter,
Omnes ac singulos pie hortatur atq; invitat.

b.

2.



IN NOMINE DOMINI ET DEI NOSTRI,
JESU CHRISTI!



Cce! is homo verè *Dominus* est no-
ster, qui sua in potentia resurrexit a
mortuis & qui, veluti secundum car-
nem ex semine Davidis prodiit, ita se-
cundum æternum divinæ sue natu-
ræ spiritum, ex quo genus humanum
denudò sanctificandum erat, stupendo
illo *Resurrectionis* opere, Filii Dei
solius proprio, palam ostendit, tantoq; potentiae experi-
mento definitivit supra omnem distinctionis modum, se-
ipsum Deum verum, se Omnipotentis verè unigenitum ei-
se; nominatus *JESUS*, utpote qui unus verè soliprat uni-
versos; nominatus *CHRISTUS*, utpote qui infinita pleniu-
tudine sic unctus est, ut inter homines verè fons unus sancti-
tatis sit factus, &, quicunq; sanctificantur ex ipso, una cum
sanctificante suo hoc capite, sancti ex uno ipsius Patre essent
omnes. Hebr. II, II.

Quæ quidem *Paschalis* doctrina continetur iis ver-
bis Rom. I, 4. *Iesum Christum, Dominum nostrum, definitum*
ipsum esse filium Dei in potentia, secundum spiritum sanctifica-
tionis, ex resurrectione a mortuis. Ne Ethnicorum qui-
dem

* (3) *

dēm sapientiores ignorant, definitionis vocabulum hujusmodi vim p̄ te terre, ut quasi involutum illud evolvat, de quo queritur. Quid verò magis reconditum erat corruptis mortalium mentibus, quam, ipsum Dei Filium esse natum è Virgine, & mortuum pro omnium erratis? Quocirca est admiranda consensio illa *Angeli Gabrielis*, annunciantis *Conceptionem*, & *Pauli Apostoli*, *Resurrectionem* exponentis. Hanc enim Doctor Gentium divinitus nobis sic commendat, ut in ea monstraret indubitatum cognoscendi principium, immo definiendi, hoc est, præcise & aperte discernendi, qualis & quanta sit *DEITAS* Jesu Christi; quæ nempe nulli creatorum, nec spirituum, nec hominum, conveniat, verū unico Dei Filio, spectato & in potentia ista vivifica, & secundum spiritum, qui ex infinita sanctificandæ efficacia sit estimandus, sine quo is nec ipse, nec pro aliis sanctitatis expertibus, resurgere valuerit. At qui isthac universa an non præcinebat *Gabriel*? Tu quidem, ad *Mariam* inquit, *vocabis nomen ejus Iesum*; at ille tam magnus erit, ut vocandus sit *Filius Dei*, &, ne quis dubitet, immensam Deitatem intelligi, *Filius Altissimi*; atque is adeo est magnus, ut ipse *potentia* sit *Altissimi*: tum vero hinc *santum* id, natum ex *Maria*, sic conspicuum, post mortem maxime, redditum iri, affirmat, ut non possit non definite agnosci *Filius Dei*, atque exclamari. Ita utique ex resurgendi *potentia*, juxta *santificationis spiritum*! huic quippe omnino, quicquid in resurrectione pro nobis facta eluet, acceptum referendum, est. *Vocari* autem, pro mente *Angeli*, significare idem, quod *exclamari*, manifesto compertum atque comprehensum evulgari, re vera esse *Filium Dei* ab æterno unigenitum, & usque adeo manifestatum quidem, ut de-

A2

hu-

* (4) *

hujus nominis veritate certo constet; *Cyrillus Alexandrinus* suo id tempore contra Nestorium, aliquie complures adversus Sabellium, Samosatenum, Arium, Photinum, Servetum & Socinianos, satis demonstrarunt. Iterum *Paulus* idem confirmat. 1. Tim. III, 16. *Dens* (in potentia, per resurrectionem potissimum) *conficus factus in carne, iustificatus in spiritu, conspectus ab Angelis, predicatus gentibus, creditus in mundo, sursum receptus in gloria.* Quod quando mysterium pietatis Apostolus dicit tantum, cuius magnitudo negari nequeat; quid sentit aliud, quam quod derivet illud omne ex spiritu sanctificationis in Christo? Postquam enim in Christo, humana caro, aeterni spiritus, cui sanctificatio omnis debetur, communionem innit; morte ipsius ac resurrectione effectum habemus, ut omnia nobis divinae Christi potentiae, que ad vitam & pietatem donata est, per agnitionem illius, qui vocavit nos per gloriam atque virtutem, conferantur: quibus maxima nobis ac pretiosa promissa dono dedit, ut per haec fieremus divinae confortes indolis, modo corruptionem, que in mundo in cupiditate inest, serio fugerimus. 2. Pet. I, 3, 4.

Recte in locum nostrum *Erasmus*, expendens *Origenis* sententiam, sequentibus verbis utitur. *Hominem fuisse Christum, evidens est argumentum, quod natus sit ex semine David: id ipsis comprobatum est sensibus.* At declarandum erat, eundem esse Filium Dei, id quod semper fuerat, sed ignotum erat mundo. *Quem igitur constabat esse hominem, is declaratus est esse Filius Dei.* Caro declaravit hominem, virtus & spiritus sanctificationis declarat filium Dei ac Deum. *Idque declaratum est, cum aliis quidem modis, nempe vaticiniis Prophetarum, signis innumeris, tum vero praecipue ex resurrectione mortuorum.* Unde B. Jac. *Wellerus,* Pa-

Patrum Græcorum interpretationibus collatis, optime expositionem hujus versiculi hanc suppeditat: demonstratum, efficaciter & certo declaratum, & evictum esse ex miraculis innumeris. & præcipue ex resurrectione, quod Christus Jesus sit verus & natura Filius Dei, sive à communi omnium creaturarum sorte separandus, ut Hesych. per à Phœbus expavit. Sic enim Thomas veram Christi Deitatem ex resurrectione intelligebat. Idem annectit, declaratum quidem, etiam esse Filium Dei ex eo, quod multa corpora sanctorum resurrexerint cum Christo: Matth. XXVII, 52. (qua de re Thaddæi testimonium illustre est Euseb. Hist. Eccles. I. i. c. 13. quo pacto mortuos, qui multis retro seculis sepulti jacebant, secum una suscitaverit, & solus quidem è cœlo descendenter, ascenderit vero ad Patrem cum maximo comitatu) sed hanc Origenis & Hieronymi illustrationem non exhaustire sensum Apostolicum; qui per resurrectionem mortuorum non designat subiecta resurgentia, sed statum, unde quis venit: quemadmodum I. Cor. XV, 12. Christus dicitur resurrexisse ex mortuis; & Act. XXVI, 23. primus ex resurrectione mortuorum.

Deplorandus hic venit error pestilentissimus Naturalistarum & aliorum, qui, ad salutem æternam obtinendam non usquequaque necessariam esse Christi cognitionem, perverse statuunt. Quo magis tenendum firmiter, quod Petrus Senatui Hierosolymitano inculcat Act. IV, 12. Non est in alio quoquam salus, nec aliud nomen sub cœlo quod datum sit hominibus, per quod oporteat nos servari. Salus enim vel ex nobismet ipsis, in quibus post lapsum nulla; vel, ex alio querenda erat. Nec vero Athenenses illam ex ignoti Dei cultu poterant sperare: ubi namque ignorantia, non lucis ibi, sed tenebrarum fors in-

(6)

venitur. Act. XVII, 23, 30. Propterea *Paulus* tam necessaria-
riam iis proponebat certi illius *VIRI*, à mortuis excitati,
agnationem, ut simul arguens contenderet, *fidem* in ipsum
palam *omnibus offerri*; quandoquidem satis superque sit
DEFINITUS, ut idoneum fidei *objec̄tum*, ex eo, quod è
mortuis resurrexerit. v. 13. Neque alia mens fuit, qua
Petrus ab initio tantopere urgebat, *sub omni celo* esse *no-*
men oportere, *datum hominibus*, per quod serventur. Sive
enim consideres *iram Dei*, quæ revelatur è *celo* adversus
onnem impietatem & injüstitiam Rom. I, 18. unde salus, nisi
Dominus Jesus sit notus *Mediator*? sive cogites *sanc̄timoniā*,
sine qua nemo videbit Dominum; Hebr. XII, 14. unde
salus, nisi memineris, *Christum* ea lege *undū*, qui non
modo per *spiritum eternum* se offerret inculpatum Deo,
sed etiam juxta eundem *sanc̄tificationis Spirituum* resuscita-
verit se ipsum, ut emundet *conscientiam nostram* à mortuis
operibus, ad serviendum Deo vivo? ibid. c. IX, 14. Ita
prosperus necessarium est unum salutis nomen *omnibus*,
idque nullum aliud, quam *Jesu Christi, Domini nostri*.

Quam perdite autem falluntur pariter *Sociniani*!
Intuentēs hi in laudata verba *Paulina*, quemadmodum
lesi oculi solis radiis perstringuntur, sic veritatem cali-
gine sua pervertunt; comminiscentes, *Christum factum*
& *constitutum esse Filium Dei* per *resurrectionem*. At
sane, ex *resurrectione* haud *fætus* dicitur Dei Filius, sed
definitus, demonstratus ac certò declaratus. Nisi temere
semper essent, qui *p̄œfracte errant*, veritatis obvia ni-
mis immencores; *Johannem* illi audientes in *Evangelio*,
de *nativitate Christi* contraria omnia docente, num de
hujus *resurrectione* talia protari non erubescerent? Quan-
do enim *Verbum caro factum est*, quid manifestius, quam,
ut

* (7) *

ut Chrysostomus & Theophylactus commentantur, in ipso initio tristis Dei Filium, & mansisse, quod erat, cum in tempore factus est, quod non erat? Et vero quid clarius interpretatur Paulum nostrum, quam sequentia? Spectavimus gloriam ejus, gloriam ut unigeniti a Patre, ita ut plenus gratiae ac veritatis agnosceretur. Ergone factus unigenitus est per resurrectionem? nihil absurdius. Eo ipso tamen, quod ex resurrectione gloria unigeniti comparuit in potentia, en! abunde est definitus ille, ut talis, coram hominibus. Sin definitus idem est Dei filius ex resurrectione, & quidem secundum aeternum sanctificationis spiritum, certe nec salutem licebit consequi, nisi illis tantum, quotquot eum exceperint fide consentanea, Joh. I, 12. credentes fanete in aeternam ipsius Deitatem, sine qua neque pro nobis semet ipsum, neque nos sibi sanctificare posset. ib. c. XVII, 19.

Ex quibus omnibus intelligere habetis, CIVES! quid officii vestri sit erga Dominum nostrum, JESUM CHRISTUM, eo spiritu a mortuis resuscitatum, quo vos sanctitate sua impertire, imbuere & perfundere intendit etiam atque etiam. Audite, atque exercete his sanctissimis diebus, hortationem Apostolicam. Jude v. 20, 21. Vos autem, dilecti, sanctissimae vestre fidei superstruentes vos ipsos, in Spiritu S. orantes, in charitate Dei vos conservate, expectantes misericordiam Domini nostri Jesu Christi in vitam aeternam. Ceterum, si de superstruendi ratione estis solliciti, nec immerito quidem; facile assequimini, quod sanctiore divini Verbi meditatione opus fit, quæ tres illos fructus pariat in animabus vestris: nempe, ardorem precum in Spiritu Sancto, tanquam certissimum fidei exercitium; custodiā vestrum in charitate Dei perfrauenda,

da, ceu fonte omnis boni; & patientissimam æternæ vi-
 tæ spem, non aliter exspectandæ, quam ex Domini miser-
 ricordia, cuius sensu omnia superantur. Minime ad hæc
 idonei sunt, qui mortem Christi nondum applicant intra
 se ad pravos affectus enecando. Si quis resurrectionem
 Filii Dei a mortuis crediderit, an mortuus in peccatis
 maneat? *Spiritus Sanctificationis*, secundum quem *DO-*
MINUS te excitavit ultrò, sanctum efficiat necesse est il-
 lum, qui Dei Filium penes se *in potentia definitum* adora-
 bit. *Vivifica vis resurrectionis* Domini a quibus menti-
 bus recipitur, neutiquam hæ manent impotentes; sed,
 morti istius conformes factæ, & *pénitentia* & *patientia*, quo
 magis a vitiis abhorrent in Christo, eò fortius omni vir-
 tute exuberant, occurrentes obviam resurrectioni mortuorum.
Philipp. III, 10, 11. Sic omnino, sic animatos reddit *su-*
pereminens illa magnitudo potentiae Christi eos, qui non
 secundum spiritum hujus mundi credunt, verum eandem
 iuxta efficaciam roboris virium ejus, quam exseruit per re-
 surrectionem. *Eph.* I, 19, 20. Atque ita demum vere uti-
 mur, vere truimur Iesu Christo, ut Domino nostro, qui
 traditus propter peccata nostra, & propter justificationem
 nostrum gratuitam resuscitatus est: *Rom.* IV, 25. ut dehinc
 etiam pleni fructibus justitiae simus, qui per Jesum Christum
 fiunt, *ad gloriam & laudem Dei.* *Philipp.* I, 11. Hæc festi,
 ac pietatis vestræ summa! P. P. in Un. Frid. iphis
 Fer. Paschal. a. MDCCIX.

Typis CHRISTOPH. ANDREÆ ZEITLERI, Acad. Typ.

Ja 3010

Nur für den Lesesaal! (1)

ULB Halle
001 874 462

3



5b

VD 18

WMA



W.M.



PRORECTOR
REGIÆ FRIDERICIANÆ,

CHRISTIANUS
THOMASIUS, J.C.T.

POTENTISSIMI BORUSSIÆ REGIS ET SERENISSIMI SA-
XONIÆ DUCIS MAURITII WILHELMI CONSILIARIUS
RESPECTIVE INTIMUS, PROFESSOR JURIUM ORDINAR.

una cum

PROFESSORIBUS
reliquis,
CIVES ACADEMICOS
AD FERIAS RESURRECTIONI DOMINICÆ
SACRAS, spiritu sanctificationis, secundum
quem definitus ex illa est Filius Dei in potentia,
in spiritu & veritate colendo, celebrandas
fideliter,
Omnes ac singulos pie hortatur atq; invitat.